

[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, likely Gothic or similar, covering the majority of the page. The text is arranged in two columns, with some lines underlined. Several large initials are written in red ink, marking the beginning of new sections or paragraphs. The parchment shows signs of age, including staining and wear at the edges.]

Communicata
in decem



M-s. 1297

an f.

R

2197.6

F. A. H. Maxß
1831 oho



DE PASSIONE ET RESVRRECTIONE DOMINI

INOSTRI IESV CHRISTI ESAIAE PROPHETAE CAP. 53.

versibus Elegiacis redditum, cui accessit

Explicatio dicti Prouerbiorum VII.

**Dominus possedit me initio viarum suarum
ludens in orbe terræ suæ.**

**PER M. PETRVM VVEL
lium Vvesaliensem,**



μηδ' ἐρ ποτ' εἶν' ἄλλο πλὴν θεῶ φίλθ.

VVITEBERGÆ EXCVDEBANT

Hæredes Petri Seitzij.

1557.


*Doriffimo vno magistro Sebastiano Vinfermo
Narentari suo celebrato Nativitate Vallis val. tt*



DE PASSIONE
ET RESURRECTIONE DOMINI

Domini postea me inio videri dicitur
Iudens in orbe terrarum

PBR M. PETRVM VVEL
Iam Vvelalem



VITBERGA BXCVDEBANT
Harcas Pmi Scizip

1777



MAGNIFICIS AC

PRVDENTISSIMIS VIRIS DO.

minis, consulibus & totiq; senatui inclytæ ci-

uitatis Vvelaliæ, Dominis suis colen-

dissimis, Petrus Vvellius

Vvesaliensis S. D.

FESTA reuertuntur macerati tempora Christi,
Quæ nos in memori corde tenere decet.

Atq; recordati tormenta grauissima mortis

Quæ tulit e Iolyma filius vrbe Dei.

Vt nos erueret stygij de faucibus orci,

Et daret æterna posse salute frui.

Nam Deus educens Deus est ex morte, recenset

Sicut Psalmographi duxq; parensq; lyræ,

Nos igitur miseros in amara morte iacentes,

Et pœnas meritos tempus in omne pati.

Rursus vt eriperet cœloq; locaret in alto,

Sponte volensq; trucidis mortis obiuit onus,

Infra homines minimus, momenti nullius omnes

Redditus, exoluens lytra cruenta patri.

Iustus enim cū sit Deus optimus hoc quoq; poscit

Iniustos homines vt sua pœna premat.

Ac ideo primos pepulisset ad ima parentes,

Tartara stagnantes infra Acherontis aquas.

Vnde superueniens in tempus natus ab illis

Mersus homo stygij plangeret omnis aquis.

Non tulit hæc animis in nos incumbere, damna,

Filius æterni lux & imago patris.

A ij.

Ergo



Ergo volens & sponte graues elegit obire,
Pro nobis poenas difficilesq; cruces.
Sæpius ista pie reminisci conuenit omnes,
Vt nos admoneant de bonitate Dei.
Hoc etenim supra Deus est operatus & extra
Humanae captum mentis & ingenij.
Nempe quod is gnato mortem subeunte vicissim,
Nos cœli hæredes deputat esse, suo.
Ac ita restitui violata lege salutem,
Quæ temerata semel morte pianda fuit,
Nulla magis miranda Deus vel grandia fecit,
Quæq; pijs fuerint suscipienda magis.
Namq; procellosum mare concursantibus vndis,
Flectere vt obstructis pendeat vnda vadis.
Aut etiam solis uolitatem sistere cursum,
Dum Iosue inuictis prælia Marte gerit.
Non est ante Deum precij tam nobilis instat,
Momentumq; minus talia facta ferunt.
His ego de rebus pepigi quæ carmina vobis,
Mitto graues meritis & pietate viri.
Hinc, vbi saxonicam lapidosas inter arenas,
Flexibus vndisonis circuit albis humum.
Et noua Musarum morientum vita Philippus,
Incultos iuuenes excolit atq; docet.
Nam scio quod studijs fautores sitis honestis,
Et quorum sequitur Musica castra labor.
Quiq; suas curas impendunt artibus, illos
Ponitis in meritum laudis honore decus,
Scitis enim quam sit res utilis esse peritos
Qui præsent alijs erudiantq; viros.

Nam

Nam quantum solis splendor supereminet alti,
Lunares radios lumine vicq; sua.
Tantum etiam indoctum vincit, superminet, antea
Artibus instructus palladijsq; bonis,
Fulgebunt docti sicut coelestis olympus,
Vt Daniel cecinit corde Propheta sacro.
Non igitur dubito patriæ dignissima turba,
Conscriptiq; patres & sacer ordo, meæ.
Quin hos in vestro signatos nomine uersus,
Inter uos aliquem detis habere locum.
Et facili vultu comem testante fauorem,
In vestras dextras suscipiatis eos.
Quod si forte queant vobis placuisse fatebor,
Esse peracta meæ dulcia uota spei.
Viuite Vvesaliæ lectissima corpora plebis,
O excellentes religione uiri.

DE PASSIONE ET RESVRRECTIONE CHRISTI Esaïæ Prophetæ, Cap. 53. Carminè redditum.

ECQVIS erit certo fuerit qui corde fidelis,
Et nostris verbis credulus esse volet?
Quis poterit duras hominum conuertere mentes,
Et stabilem populis insinuare fidem?
Cui satis est certum domini sit quanta potestas,
Et quantam valida uim trahat ille manu?

A in

Quis

Quis satis agnosceret quod opus mortalibus ægris,
Brachia saluifici constituere Dei.
Crescet ut exoritur uiridantibus herbida campis
Virgula, quam coeli nulla rigauit aqua.
Quæq; cito nitens aruo uiridescere pingui
Marcessit, quod eam non alit humor aquæ.
Non illi decor ullus erat neque gratia formæ,
Nec quali species esse decebat eum,
Ipsius macies tenuabat pallida vultum,
Rugæq; turpatæ plurima frontis erat.
Vndiq; inundabat foedum putredine corpus,
Et status in toto corpore prauus erat.
Plaga cicatricum tetrum spargebat odorem,
Illuies etiam spurca nocebat ei.
Membraq; liuebant incocto flaccida tabo,
Et nihil in tota carne ualoris erat.
Exemploq; carens & nulli cognitus æuo,
Ipsius in misero corpore squalor erat.
O dolor, heu species indigna inhonestaq; uisu,
Quali nullus homo præditus ante fuit.
Hanc simul ac eius formam conspeximus ipsi,
Spreuimus & nihili duximus esse uirum.
Et quoties miseros in apertum fustulit artus,
Fabula mox de qua colloqueremur erat.
Et cum quæsisset qui solaretur egenum,
Est velut abiectæ creditus umbra rei
Nam neq; tam foeda fluidum illuione tulerunt,
Lumina præsentem nostra uidere uirum.
Hinc quoq; censuimus precij nullius habendum
Esse, sed hoc mentis cæcutientis erat.

Nostros

Nostros ille tulit morbos ægrisq; medetur,
Nostraq; præsentis vulnera sanat ope.
Et quibus obstricti fuimus deformibus actis,
Ipsi satisfecit se pretiumq; dedit.
Quæ neq; prædatus fuerit nec abegerat vnquam,
Solvit & exhibuit lytra cruenta patri.
Sed nos pro nihilo reputantes ista subiret.
Tanquam pro sese mortis agona grauem,
Spreuimus, inferna cæci caligine habentes
Instabiles oculos instabilemq; fidem.
Nā quod nos facimus quod nos committimus ipse,
Solvit & hinc mortis fractus agone fuit.
Inde suam vitam proiecit in horrida uitæ,
Tormenta & pœnas multiplicescq; cruces.
Cumq; trucem mortem pateretur in arbore fixus,
Spiramenta animæ vix dabat ægra suæ.
Mens in eo fluxit uelut anxietate liquecens,
In circumspectu stans sine fine mali.
Lugubre contremuit cor in eius pectore, uirtus
Mareuit horrendis collabefacta malis,
Non secus ac trepido cursu lassatus anhelat,
Cervus ob instantes ad latus omne canes.
Ardet & incensas rapido calet igne medullas,
An quod tutamen possit habere sui.
Et iam perfusus nimio sudore labascit,
Dum uidet urgeri se canibusq; premi.
Ac fugit in præceps ex omni parte fugatus,
Dum patet in sese sic crepitare canis,
Sensibus attonitis tremuit sic Christus, & iræ,
Sic patris expauit fulmina iusta sui.

Sub

Sub legem factus scelerisq; piacula nostri,
Et crucis immerfus tormina dura suæ.
Sollicitumq; malis uersauit in omnia mentem,
Dum raro dum quærit spiritus æger opem,
Omnia sensit enim delicta incumbere mundi,
Quæq; homines faciunt nunc quoq; praua, sibi.
Nos equidē ut latis ouium grex sparsus in agris,
A pastore uagans, errat ubiq; suo.
Hinc inde illicitis omnes errauimus actis,
Perq; loca errores deuia duxit iter.
Passibus incertum palantibus iuimus omnes,
Pestis enim miseris omnibus vna fuit.
Namquid agit, velut vmbra vagatur, obambulat,
Mouebus insanis se moderatur homo. (errat,
Hunc igitur uoluit sceleris ferre omnia nostri
Pondera, quæ nullus ferre valeret homo.
Criminaq; humani generis glomerauit in ipsum,
Ferret ut immensum totius orbis onus.
Non tamen in tanto miseræ discrimine mortis,
Fudit luctificos anxius ore sonos.
Verbera sedato tulit indignissima corde,
Et nullos strepitus edidit illa ferens.
Qualiter ad cædem pecus obmutescit, & iræ
Abstinet internæ nilq; furoris habet.
Et ueluti mutit spoliat quem munere lanæ,
Tonsor ouis tacite spemq; metumq; fouet,
Sed nunc ereptus fracto conamine mortis,
In uitam redijt patre uolente Deo.
Omnia perrupit damnosa pericula uictor,
Euasit panidæ uulnera adacta necis,

Fortiter

Fortiter effregit molimina mortis acuta,
Plutonem euertit lucifugosq; Deos.
Et propria celebrat partos iam morte triumphos,
Qua sibi nos fecit tempus in omne suos.
Suscepitq; suos quos ante tenebat honores,
Viribus æqualis temporibusq; patri.
Ac Deus omnipotens in maiestate verenda,
Cœlorum & terræ Regia sceptrâ quatit.
Omnia subiecti dominans in corpora mundi,
Ad cuius nutum terra polusq; tremunt,
Quis satis ipsius memorabit sæcula regni?
Et quæ magna facit quæq; stupenda gerit?
Nempe sit ipsius quanta excellentia dextræ,
Quantaq; uis similem non habitura sibi,
Quamq; regat solida fultus uirtute potenter,
Quicquid habet tellus quicquid olympus habet
Propter iniqua meæ Deus inquit crimina plebis,
His gnatum mersi morte malisq; meum.
Et sum passus eum putri succedere terræ,
In tumulo infossum sicut iniquus homo,
Vtq; solent Tragica perituri morte Tyranni
Informem interitum pernitiemq; pati.
Sic patris ille Dei demortuus iuit ad umbras,
Filius infernas ut sceleratus homo.
Nil equidem fecit nec se maculauit in vlllo
Peccato leges transiliendo Dei,
Nullus amor scelerum, nihil ipsi fallere cordi,
Et sine labe eius vita peracta fuit.

B

Paruis

Paruit at patri cuius reuerenda uoluntas,
Ipsam percussit supplicioq; dedit.
Quare sponte graui patris se subdidit iræ,
Opposuitq; ipsi seq; suasq; preces.
In se deriuans mala quæ patrauit Adamus,
Quæq; homo mortalis nunc agit, egit, aget,
Vt sese obiecto quasi petra & rupe salutis,
Redderet amissi pristina dona boni.
Et quoniam sese sic præstitit usque fidelem,
Hæc omnis ætas posteritasq; sciet.
Efficiet per eum Deus omnia salua, uidebit
In longa esse suam posteritate domum.
Florebunt homines per eum sanctiq; piq;
Et quicunq; colunt iussa uerenda Dei.
Suscipient animis omnes noua gaudia, quicquid
Promisit per eum conferet omne Deus,
Ecce meus seruus iustos (Deus inquit) in ipsum,
Qui ponent faciet iustus & ipse fidem.
Agnitione sui multos saluabit, in ipso,
Qui se firmarint non dubitante fide,
Distribuamq; ipsi plenissima munera prædæ,
Et spolia exhausto digna labore feret,
Scilicet insignes bello, pugnaq; ualentes,
Impellet regni sub iuga iusta sui.
Puniet ille malos & qui sua signa rebelles
Detrectant iussa credulitate sequi.
Succumbent ipsi quantumuis ante feroces,
Summus erit Regum qui regat unus eos.
Quan

Quandoquidem subiit nulli subeunda volenti
Mente, ferens humeris totius orbis onus,
Flumina diuini patiens effusa furoris
Exceptitque sinu tela tremenda patris.
Denique iam moriens pro fontibus ipse rogauit,
Et nos propitium fecit habere Deum.

PROVERBIO

RVM CAP. VIII.

Dominus possedit me initio uiarum suarum lu-
dens coram eo in orbe terræ suæ, & dele-
ctationes meæ cum filiis hominum.

EXPOSITIO.

ME Deus omnipotens æuo possedit ab omni
Participem mentis consilijque sui.
Dextera cœlorum nec dum formarat abissos,
Ipsius, aut terræ climata fixa vagæ,
Nec grauida montes cumulati mole steterunt,
Nec circum colles vallis hiulca fuit.
Lata superficies nec dum quoque splenduit orbis,
Axe nec e clato fulsit vterque polus,
Sed cum iam rapidi faceret pallatia cœli,
Singulaque artifici fingeret astra manu,
Aërioque vagas glomeraret vertice nubes,
Vnde cadit pluuiæ de super imber aquæ.

B ij

Præsto

Præsto aderam rerū structorq̄ decemplicis orbis,
Coniungens socias cum genitore manus.
Adiungensq̄ patris lateri latus ipse creabam,
Omnia quæ magni circulus orbis habet.
Conseruiq̄ meam cum dextra patris & vna,
Fecimus hunc mundum syderiasq̄ plagas.
Fecimus & nitidis animantia viua figuris,
Omnia quæ miris sunt variata modis,
Fecimus & pulchros homines sub imagine nostra,
Exemplum ut nostri quilibet esset homo,
Multaq̄ multiplici visuntur in ordine mundi.
Quæ vere possint esse docere Deum.
Ludit in humanis Domini sapientia rebus,
Hæredesq̄ homines repperit illa suos,
Nam sanctos lufos agitans ego lætor in illis,
Omnibus, in quibus est vis manifesta Dei.
Sed quoniam simul ac homines Deus ipse creauit
Se quasi delectans deinde quieuit, eis.
Et cum sint ipsi uere coelestibus auris
Afflati referant noticijsq̄ Deum.
Sunt in amore meo magis & magis applicor illis
In sacrosancti iure sodalitiij,
Diligo eos vere, vere inuictissimus illis,
In desiderij parte quiesco mei.
Semper in his sese mea mens oblectat, in iisdem
Delitijs sanctis exuperare iuuat,
Hos mihi meq̄ ipsis communia gaudia iungunt
Gaudia ab arcano corde prpfecta Dei.

Hi

Hi mihi blanditiæ sunt & mihi vera voluptas,
Suauiter afficiens pectora mille modis.
Cor mihi dilatans omnis meus ardor in illis,
Meq; ipsis penitus feruidus vnit amor.
Estq; amor hic ortus diuinæ in lumine mentis,
Coniungens homines cum genitore Deo.
Quicq; animos penetrans genitali afflauit ab aura,
Quæ pia iustifico corda vigore fouet.
Deniq; perpetuis amplector amoribus illos,
Qui mihi confidunt & mea iussa colunt.
His ego conuersor placidissima gaudia carpens,
Quorum fomentis vulnera sano meis,
Ludit in orbe Deus suauis genitæq; salute,
Ludit, & innumeras suggerit vnus opes.
Mirandisq; modis mira dulcedine ludit,
Lusibus exhilarans pectora nostra suis.
Demissos animos iocunda fronte serenat,
Luce Euangelij lætificante sui,
Erigit & moestos lusucq; accendit amico,
Perpetuo præsens hic & vbiq; Deus.
Namq; libenter adest nobis, casulisq; moratur,
Sub nostris quanquam vilibus atq; malis.
Conuentus hominum celebres vilesq; frequentat
Exoptatq; illos demeruisse sibi.
Sic ærumnosam quondam quoq; venit ad urbem,
Bethaniam quam vix vllus adiret homo.
Nam quia Bethaniæ si vestigetur origo,
Ærumnosorum dicitur esse domus.

B iij

Hic

Hic inopes sua tendebant habitacula multi.
Lazarus hic etiam Bethaniensis erat.
Hic patriæ sedes lepra morboq; grauatis,
Et quorum tabes corpus edebat, erant
Leprosus Simon hic habitabat paupere tecto,
Sub quo cœnauit filius ipse Dei.
Cuius ibi mulier caput vnxit pistica Nardi,
Vnguenti infundens munificeq; fouens.
Sic quoq; nunc multi licet exiguissima turba,
In Christi effundunt pistica grata caput,
Fusilibusque fouent vnguentis ipsius ægra
Membra, pios homines præsidioque leuant,
Iam mihi quæso vide quam sit bonitatis in ipso,
Fons infinitus venaq; magna Dei,
Conuentus hominum viles vrbesq; frequentat.
Et propugnat eos statq; propinquus eis.
Sic Iosua ad dextram stetit ipsius arma gubernans
Ductor & hostiles perculit ipse manus,
Armipotens populique sui fortissimus Heros,
In turpem vertit terga inimica fugam.
Sic etiam Syrijs oculorum sustulit vsum,
Perdere cum vellent mœnia Samariæ.
Obiecitque cauam spoliatis lumine nubem,
Ne se conspicerent impia castra Ducum.
Ac ita in hostiles Syria agmina lapsa cohortes,
Cum iam Samariæ mœnia clausa forent.
Se captos mox uisu oculis redeunte videbant,
Vanaq; spes Regis vafritisq; fuit.

Impia

Impia conantes sequitur fors talis, & omnes
Qui male agunt tandem corripit ira Dei,
Regnat in humanis diuina potentia rebus,
Et populum præsens vindicat ipse suum.
Sic populo Israel loca per deserta præiuit
Petra, inuicta valens spes columenq; suo.
Ludit in orbe Deus comigrataque salute,
Ludit & impertit gaudia læta pijs.
Mirifice ludit, naturæ propria mutat,
Ac ipsam veluti degenerare facit.
Quorum vox hominum surdas non attigit aures,
Sæpius auditum restituisse liquet,
Sæpius ignavis illata cadauera tumbis,
Exciuit miris glorificata modis.
Mitigat in nobis causis mala nata secundis,
Fataque miranda pessima lenit ope.
Nam nihil ipse facit per eorum immota coactus,
Iura mouere potest tollere fata Deus.
Multaque cernuntur uestigia certa quod orbem,
Mens regat æterno numime certa Dei.
Hoc quicumque negant Epicuri, monstra, fontes
Horrida sunt & erunt atque fuere prius,
Ludit in humanis Domini sapientia rebus,
Ludit & est præsens hic & vbique Deus.
Aspice quam miras vires impresserit herbis,
Quas visu præcij nullius esse putes,
Et tamen hæ quoties populantur corpora morbi,
Auxilium infirmis sæpe tulere viris.

Aspice

Aspice Samsonis quam scripta prophetica narrant.
Historiam, ex templo plenius ista scies.
Dicit ab egelidis corrupti faucibus ortus
Murmura nascentes esse leonis apes.
Deinde fauos genitos velut intra aluearia mellis
Sub putridi costis pelliculaq; feræ,
Ex Christo simili ratione Ecclesia sancta
Nascitur, effœto mellificante tamen.
Namq; salutarem doctrinam effundit, & illam
Mella repræsentant significanter apum.
Hanc qui depascunt & in hac sua pabula quærunt,
Mellificant etiam fructificantq; Deo,
Talibus exemplis diuina potentia ludit,
Rebus in humanis quas regit atq; fouet,
Et lætatur in his & ab his sua gaudia sumit,
Quanta voluptatum peccata plena solent.
Sic etenim dicit mea delectatio in illis
Filius æterni lux & imago patris,
Amplectorq; homines & in his mea gaudia venor
Et mentes foueo simplicitate pias,
Commoda in ipsorum sumpsi summocq; labores,
Optima contribuens pessimaquæq; fugans.
Nunc hic nunc illic & vtroq; per omnia præsens,
Plurima pro ma ipsis largiar ipse manu.
Erga homines miseros & habentes crimina vitæ,
Cum bonitate meus mistus abundat amor.
Illorum curam tota gero mente, nec vnquam
Ex animo labi pignora cara sino

Ipsorum

Ipforum a Dextris prope sum ne forte laboretn.
Me Duce vis illis nulla nocere potest.
Ante oculos interq; manus prope proximus asto,
Me duce non illos hostica turba premet.
Vndiq; coelicolis circundo cohortibus illos,
Ac in circuitu fortia castra loco.
Tutor eos valido pugnans virtutis in arcu,
Sæuaq; conquasso roboris arma mei.
Virga meæ defendit eos fortissima dextræ,
Conseruat baculi florida planta mei.
Calibus ut quoties circumflectantur acerbis,
Non dubiæ possum ferre salutis opem.
Excubias agito rata propugnacula figo,
Sepio dilectos ad latus omne mihi.
Oculo sub latebris ipsos ne turba malorum,
Occupet incautos & loca mortis agat.
Cumq; nigrescenti iam mundus inhorreat vmbra,
Sum veluti lampas quæ face monstrat iter.
Duco per obscuras tenebris loca condita valles,
Me duce nulla pijs inuia facta via est.
Ille ego sum virtus illis & nobile regnum,
Pace mea placidos suppeditante dies.
Omnibus omnis honos sum factus & ampla bo-
Copia diuitias me tribuente ferunt. (norum,
Omnibus inuictus Clypeus robustaq; petra,
Quos regit in Dominum certa tenaxq; fides.
Quin & ad extremum vitæq; nouissima vestra,
Non absom, in medijs portus & aura malis.
C Vobiscum

Vobiscum maneo mansi semperq̄ manebo,
Dum labens aliquos proferet hora dies,
Vos mihi non adimunt noctes neque clara diei
Tempora, seu venias Hespere siues cadas,
Siue die laxatur humus seu sydera splendent,
In vestris rebus sum comitator ego,
Nam mihi sunt talis fors optatissima, legi
Quos ego de mundi colluione tetra,
In terris mea cura & maxima gaudia sancti,
Quiq̄ colunt vera religione Deum,
Incaluere mei penitissima scrinia cordis,
Et meus in molli pectore flagrat amor,
Mille meæ occurrunt dulcissima gaudia menti,
Cogitat hos quoties hic genuinus amor.
Sum placidus facilisq̄ illis veniæq̄ paratus.
Illorumq̄ malis gratia blanda mea est.
Cordibus infundo spirabile numen eorum,
Largior & cordis semina sancta mei.
Sed qui blasphemant me falsis culibus, horum
Punitor, vindex, & grauis vltor ero.
Qui cum sint penitus stolidissima turba videri,
Omnibus astuti per sua facta volunt.
Verum ego quæ faciunt libamina censeo vana,
Et quæcunq̄ litant sunt odiosa mihi.
Execror illorum missas holocaustaq̄ sperno.
Illorum siquidem nausea facta mihi est.
Ex vomitu incensis adulescunt ignibus aras,
Et male olent super has facta piacula mihi.

Infcit

Inficat illorum fumans altaria foetor,
Et late super hæc putridus, horret odor,
Nam de visceribus miserorum holocausta piorum
Instituunt & in his me coluisse volunt.
Sanguine de fuso faciunt sua sacra bonorum,
Et plebis comedunt corpus & ossa meæ,
Verum hos iusta manet pro tali pœna reatu
Pœna dolorificas exhibitura cruces.
Præterea nunquam mea lingua loquetur eorum
Nomina, Tartareos digna subire lacus.
Nam quia confirmant idola prophana Deorum,
Mentitaq; colunt religione Deum.
Omnia contemnunt præter sua facta superbe,
Legitimaq; nihil cum ratione docent.
Occidunt temere cœlestia verba professos,
Nec quid habent pensi nec metuere Deum.
Dogmata turbantes recte fundata, recedunt
A vera veri cognitione Dei.
Omnia sicut agunt sic & peruersa loquuntur,
Et neq; quid cerebri nec rationis habent.
Nam mala peruersi dum scribunt ordine verso,
Applausum uanum pectora vana petunt.
Illorumq; furor populares ambit honores,
Et fieri magni plausibilesq; volunt.
Fluctuat incertis ardoribus error eorum,
Motibus insanis multa nefanda gerunt.
Non secus ac quondam malus Arrius egit, ubiq;
Agmina sectarum seditiosa mouens.

C ij

Hos

Hos compeſce Dei precor illuſtriſſime Fili,
 Ne vim gens faciat flagitioſa tuis.
 Argue monſtroſos homines & corripe eorum
 Inſtabiles animos inſtabilemq; fidem.
 Ne tua perplexis & in hæc & in illa Sophiſtis,
 Turbida plebs verbis erret abacta tuis.
 Atq; preces perfer noſtras & ſuſcipe cauſſam,
 Noſtra licet nullo nomine cauſſa bona eſt.
 Namq; quod in pœnis ſumus hoc mala noſtra
 Quod nō perpetuo perdimur ipſe facis. (merē
 Quamuis eſt igitur meritis indebita noſtris (tur
 Magna tamen ſpes eſt in bonitate tua.
 Eripe nos inuicte malis & mole laborum,
 Et fac nos meritis tempus in omne tuos,
 Nobis ad vitæ auxilium pro rebus agendis,
 Exigua vires exiguusq; valor,
 Hinc Sathan horribili furit vndiq; et vndiq; motu
 Extremæ noſtri perditionis amans,
 Hinc caro noſtra malis affectibus eſſera vexat,
 Et ſtrepit in leges perfidiſſa tuas,
 Hanc vt opem nobis propter ſua nomina præſtet
 Suppliciter dominum quiſq; rogate Deum.

FINIS.



EPISTOLA PAULI

AD TITUM, CARMINE

reddita per M. Petrum Vvellium

Vvesaliensem.

CAPVT I.

PAulus Apostolicus sub principe seruus Iesu,

Lucida in officio qui regit astra Dei.

Missus ad electos de religione docendum,

Qua cognoscendus sit pietate Deus.

Et quid uera fides quæ sit doctrina sequenda,

Et quo saluemur quod pietatis opus.

Qua spe iustitiam freti vitamq; moremur

Aeternam, superi regna beata poli

Quam Deus in quæ non quadrant mendacia nobis:

Promisit, cunctos temporis ante dies

Sed nunc decreto reuoluti tempore mundi,

Passim per gentes notificauit eam,

Fecit & in populos patulæ increbescere terræ,

Nuncia decreti per mea uerba sui.

Nam mihi commissa est huius patefactio ab ipso

Christo qui nobis auxiliatur ope.

Disceret ut fidei tandem Christeidos orbis

Parere alloquens iustitiæq; Dei.

Gratia sit Tito pax & miseratio summo

A patre & nato cum genitore Deo.

C. iij.

Etc

Et mihi germani semper gnati instar amato,
Iuxta communem saluificamq; fidem
Huius ego caussa te cedens inde reliqui
In Creta, Adriaci quam rigat vnda maris.
Ut quæ deficiunt ibi adhuc & agenda supersunt
Suppleres iussa sedulitate mihi
Scilicet vt nondum quæ sunt digesta scienter,
Tu dispensares munia cuiq; sua,
Præfice presbyteros igitur per singula Cretæ,
Oppida, disposui sicut id ante tibi.
Si quis inoffensus graditur fueritq; repertus,
Vnius vxoris vir bonus esse suæ,
Pignora habens Dominum recte metuentia sumus
Non infida suis neue maligna bonis. (mum,
Quorum degeneres non quærunt pectora luxus,
Et non ægro animo quælibet acta ferunt.
Præbyterum siquidem coram decet omnibus esse
Irreprehensibilem nec probra ferre sui.
Vtpote quem iubeat sacri mysteria verbi,
Dispensare alijs atq; præesse Deus,
Et cui non temere siccum iecur ardeat ira,
Dum præcor nimis est difficilisq; nimis.
Nec sit percussor multorum sæuus Alastor,
Cui faciles pateant infera bella manus,
Integer a nimij spumante libidine vini,
Cypridos vnde venit perniciosus amor,
Non inhiet lucris nec ei sint diuitiarum
Illecebræ curæ nec vagus ardor opum.

Et

Et nolit rebus locuples triuialiter esse,
Qui corradat opes qualibet arte sibi.
Quin peregre erga illos sit qui uenere benignus,
Præbeat hospitiibus per sua tecta locum,
Nec male consumat per inertes ocia nugas,
Sed uacet utilibus rebus, opusq; gerat
Sobria iustitiamq; colens & amator honesti,
Traducat uitæ tempora rite suæ.
Nuncius æternæ bonus est & buccina uitæ
Presbyter officium cum facit omne suum.
Puraq; doctrinæ tueatur dogmata veræ
Natiuum sensum commode ubiq; sequens.
Sicq; potens alios docto sermone monere,
Inq; salutiferam ducere quemque viam.
Atq; resistentes doctrina frangere sana,
Si quos forte iuuet stringere verba Dei.
Sunt etenim multi satis intractabilis oris
Et tantum fortes in leuitate sua,
Vaniloqui, fragiles soliti seducere mentes,
Qui nisi falsa sciunt dogmata nulla loqui,
Talis inest leuitas ac inconstancia multis,
Mens perplexa quibus sæpe subesse solet,
Præsertim circuncisis, quiq; esse colenda,
Moseos affirmant sabbatha, festa, status,
Os quibus insulsum constringere oportet, & intra,
Illorum metas claudere uerba suas.
Qui totas prauis ædes erroribus implent,
Euertuntq; animos credulitate leues.

Friuola

Friuola, scripturis nullis fundata, docentes
Vt possint lucrum colligere inde sibi
Christum venalem, coelum venale loquuntur,
Et precio expungunt crimina facta dato.
Sed verum est uates quod quidam dixit eorum,
Qui quoque Cretensi de ditione fuit.
Mendaces, pepones, & bestiae, inertia terrae
Pondera Cretenses dedita turba gulæ.
Ista recensentur nequaquam ficta, sed illos
Improbitas vere tam vitiosa tenet.
Fortiter idcirco reprimas sermonibus istos,
Vt sani constant in pietate, fide,
Fabula non animos Iudaica capere eorum,
Nec praecepta hominum fictaque sacra regant,
Qui uera procul excedunt pietate fideque
Atque auersantur dogmata recta sequi.
Omnia sunt puris pura & sine labe, nec unquam,
Inquinat ingestæ sumptio carnis eos.
Sed male pollutis infidaque pectora prauis,
Omnia sunt olida sordidiora lue.
(Namque quod immundus tangit illud ab illo
Naturam immundam degeneratque statim)
Quorum doctrinis mens est foedata malignis
Cordaque spurcie sunt viciosa graui.
Qui se scire Deum declamant ore prophano,
Sed factis illum quem docuere negant,
Execranda in eis & sensa nefaria regnant.
Sunt contumaces nulla decenter agunt,

Caput

CAPVT II.

DOctrinae insistas verae vestigia, quæq;
Scripturae specimen verba loquaris habent
Nempe senes quibus est effœtum corpus & ætas,
Sese in frugali sobrietate gerant.
Ebria neue olidis insumant vina tabernis,
Ne cerebrum crapula spiritibusq; grauent.
Quin potius sese morum grauitate venustent,
Et vitam ætati conuenienter agant.
Sint stabiles saniq; fide tolerantq; modeste,
Quæ mordere animum tristia fata solent.
Deniq; anus vetulae moderato ornentur amictu,
Qui deceat mentes relligione pias.
Non lædant alios efficta cauilla loquentes,
Nec probra nugaci futilitate serant.
Abstineant etiam nimio indulgere Lyæo,
Qui mentem vitiat debilitasq; caput.
Vt possint natas nuptasq; docere puellas,
Compositos mores compositumq; statum,
Scilicet vt proprios sectentur amore maritos,
Et ^{sogyn} foueant pignora cara iugi,
Et sint abstemiæ nec inertisorde liquefiant,
Custodesq; domus sicut oportet agant.
Sint etiam comes mista bonitate, suisq;
Mitia coniugibus subdere colla velint,
Ne verbum cœleste malo rumore feratur,
Et dehonestentur verba sacrata Dei.

D Taliter

Taliter & iuuenes hortare videlicet illis
Luxibus vt nimis abstinuisse velint.
Non nimis inuident temulenti pocula Bacchi.
Quæ plus sæpe nocent quam ferus ensis eis.
Tu uero videare alijs ceu Regula vitæ,
Cuius ad exemplum quemlibet ire iuuet.
Forma operū populicq; modus regimenq; honorū
Et vitæ præstans integritate tuæ.
Inq; tuis splendor grauitatis moribus adsit.
Et falsis eniteat sermo lepore tuis.
Irreprehensibilem te deniq; rebus agendis
Exhibeas vt te carpere nemo queat.
Vel si quis fuerit verbis pugnacibus usus
Te vincente nihil possit habere loqui.
Pinganturq; notis pudibundis ipsius ora,
Cum sciat aduersus te nihil iste mali.
Subiectos etiam famulos hortare frequenter,
Vt faciant Dominis munia iussa suis,
Et placeant illis & eorum dicta capescant
Et simul ad nutus omnia prompta gerant.
Obseruent, adstent iuxta, fateantur & illos
Obsequijs Dominos omnibus esse suos.
Et nunquam uerbo si castigentur ab ipsis
Forte leui contra murmura deblaterent.
Deniq; non regerant illis conuicia, neue
Responsent freti garrulitate sua.
Tum quoq; nil dominis clam conuafare honorū
Nec debent alijs surripuisse sua.

Sed

Sed syncerum animum candoris imagine veri
Vndiq; declarent & pietate probent,
Vnde Panomphæi fiat doctrina Tonantis,
Notior, & passim fructificare queat.
Luxit enim Domini iam gratia foeta bonorum
Pondera quæ placidæ grata salutis habet,
Erudiens nos ad vitam cœlumq; beatum,
Non secus ac lampas quæ face monstrat iter.
Scilicet vt tandem morum impietate reiecta,
Et spreta mundi colluione tetri,
(Nempe uagis nec compositis affectibus huius
Carnis quæ uicijs innatat atq; scatet.)
Optima, iustitiæ norma monstrante, sequamur
Dogmata ceu nobis præcipit ipse Deus,
Et nisi quod iustum est nullum instituamus obire
Donec in hac mundi valle moramur, opus,
Spe quasi nutriti fore nos post fata beatos,
Et superi hæredes indigenasq; poli.
Vsq; sub aduentum Domini labentibus annis
Et Christi cuius tunc tuba signa dabit,
Qui se pro nobis in mortem tradidit ipsum,
Vt nos erueret crimine atrisq; malis.
Et subijt stygij nebulosum littus Auerni,
Vt manes cœlo redderet inde pios.
Et populum proprium sibi purificaret ab omni
Labe mali & rectum qui sequeretur opus.
Ipsius & tantum faceret conformia legi,
A iussis certus non resilire datis.

D ij

His

His dictis hominum tua vox circumsonet aures,
Iuculcesq; illis sæpius ista velim.
Et simul obstantes vehementibus argue dictis,
Corripeq; iniustos & reprehende malos.
Et te despiciat quasi verba leuissima fantem
Nemo, nec intendat dicta superba tibi.

CAPVT III.

Commonefac illos documentaq; suggere cre-
Ut sint principibus subdita turba suis. (bra
Præpositisq; viris nunquam parere reculent,
Quos alijs voluit lege præesse Deus.
Omne bonum sectentur opus, tueantur honesta:
Nulla sequi fuerint quæ nisi recta velint,
Nec male de reliquis si peccent forte, loquantur
Est famam alterius contaminare nefas.
Aspera non alios temere per verba lacescant,
Quæ secum semper iurgia sæuia trahunt.
Sed sint humani, nihil indignentur acerbe.
Et dicta erga alios non onerosa sonent.
Nam nos præteritis etiam deliquimus annis,
Et nisi stultitiam nouimus esse bonum.
Palantes & præcoces, auidiq; profuse
In desiderijs luxuriare uagis,
Pectoraq; inuidiæ stimulis laxata dabamus,
Sæpe nocebamus per mala facta pijs
Certantes odijs rapidæq; ardoribus iræ,
Frænæq; laxatæ libera bilis erant.

At

At simul erga homines patefactis vndiq; signis,
Exeruit bonitas se manifesta Dei.
Participes vitæ nos reddidit ille perennis,
Quæ genuina ipsi est pro bonitate sua,
Non quod nos vitæ sine labe peregrimus annos,
Aut nostris meritis sit redimenda salus.
(Namq; salus mercede caret gratisq; petenda est:
Iustitia externis incomitata bonis)
Sed quod nos gratis saluos decreuerit ille,
Nam misereri opus hoc est memor esse suum,
Per lauacrum sancti renouantis pectora flatus,
Quo uoluit nobis præside cuncta geri,
Quemq; per vnigenam dedit in pia pectora gnatū:
Largiter vt fierent organa sancta Dei.
Vt iam iustitiam donis illius adepti
Respectu meriti nullius aut operis,
Aeterni hæredes nos efficeremur olympi,
Spes velut in nobis indubitata fuit.
Hæc tibi præcipio mi dilectissime Tite,
Vt doceas alios instituasq; rudes.
Vt faciant quæ sunt & honesta & commoda vitæ:
Ocia securis namq; supina nocent.
Et sint solliciti præsentq; laboribus ipsi
Quos alit in Christum constabilita fides.
Argutorum autem problemata sperne sophorum
Friuola, quæ nulla commoditate valent.
Et fuge doctrinæ pugnas legalis aniles,
Sunt etenim vanæ nilq; ualoris habent.

D iij

Deniq;

Deniq; conflictus verborum pone tenaces,
In quibus est mentis iudicijq; nihil,
Sectarum autorem texentem ænigmata verbi
Et nodos varia disparitate, Dei,
Quiq; uias uarijs scripturæ anfractibus intrat,
Et procul a Christo dissidet, errat, abit.
Hunc uolo declines tibi conscius esse malignum
Et iam damnatum qui facit ista uirum.
Nam tibi nec monitus talis resipiscere discit
Nec fieri melior nec bonus esse studet,
Cum uero ad uestram proficisci iussero terram,
Arteman aut Tychium quādo necesse mihi est.
Fac cito transcendas ad me qua te uia ducit,
Nicopolim, Actiaco littore pene sitam,
Namq; per algosam statui illic uiuere brumam,
Et subsistere hyems dum glacialis abit.
Tu quoq; fac Zenamq; & Apollo semper amatos
Quorum alter leges iuraq; Zena tenet,
Deducas studio præsentem fideliter ipsis,
Ut nihil impediatur quod remoretur eos,
Dent operam & nostri factis assuescere sese,
Utilibus ueluti pagina sacra docet.
Insoliti nec sint ad opus nihil inde remittant
Sicut id assiduus postulat usus agi.
Quod superest scribi uobis iussere salutem
Omnes qui meum sunt remanentq; modo
Tu quoq; complures illis largire salutes
Qui uera nostri sunt in amore fide.

Gratia

Gratia cum uobis diuina sit omnibus opto
Et quisquis bonus est taliter optet, Amen.

MALACHIAE III. CAP.

ECCE DIES VENIET SVCCEN-
sa quasi caminus & erunt omnes superbi & omnes
facientes impietatem stipula, & inflammabit
eos dies ueniens dicit Dominus exerci-
tuum qui non derelinquet eis
radicem & germen.

ECce dies ueniet uelut inflammata caminus,
Fornacisq; dabit signa micantis atra.
Cum scelerati omnes & celsa mente superbi
Ut stipula arefcens materia ignis erunt.
Namq; dies ueniens flamma consumet eosdem,
Quod Deus armipotens asserit ore suo.
Neue relinquet eis radicem aut germinis herbam,
Nec super in uiuis amplius esse sinet.
Scilicet occidui sunt haec praenuncia mundi,
Cum peccatores impietate cadent.

FINIS.

Ἐξω νόξα δουλέμ ὡς χωρίθ θεῶ ἐντυχῶ.

ERRATA.

Pagina 4. prima facie pro fuerit, lege fuerat:
Ibidem facie 2. pro errores lege errone: pagina. 7.
facie prima pro genita lege grata: Pagina 8. pro
ortus lege ortas: Pag. II. praecox non praecor erit.

100

Et quibus bonus est salus operum Amen
Gratia cum nobis divina sit omnibus opto

MALACHIAE III. CAP.

ECCE DIES VENIET SVCCEN

ta quasi carinus & erunt omnes lapidi & omnes
facientes impietatem supbia & infamantibus
eos dies veniens dicit Dominus exercituum
num qui non declinavit eis
radicem & germen

Et ecce dicitur nunc in ista hora carinus

Cum fuerit omnis & omnia in lapidibus

Et supbia erunt materia ignis erunt

Namque dies veniens hanc consumet coldeat

Quod Deus arripit tuas alicui ore suo

Neque relinquet eis remanere germen herbarum

Nec super in vultu eius erunt

Et ecce dicitur in ista hora carinus

Cum peccatores impietatem egerint

Et ecce dicitur in ista hora carinus

Et ecce dicitur in ista hora carinus

Et ecce dicitur in ista hora carinus

Pagina 4. prius facit pro factis lege fuerit

ibidem facit pro erroris legentibus pagina 7.

facit prima pro gentia lege gratia : Pagina 8. pro

erroris lege oritur Pag. II. p. 1. error non p. error erit

153028

AB: 153028

ULB Halle

3

003 486 044



86

[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule. The text is arranged in two columns. Several large initials are written in red ink, including 'D', 'E', 'F', 'G', 'H', 'I', 'K', 'L', 'M', 'N', 'O', 'P', 'Q', 'R', 'S', 'T', 'U', 'V', 'W', 'X', 'Y', and 'Z'. Some lines are underlined with red ink. The parchment is aged and shows signs of wear, including stains and discoloration.]



DE PASSIONE ET RESVRRECTIONE DOMINI

INOSTRIESV CHRISTI ESAIAE PROPHETAE CAP. 53.

versibus Elegiacis redditum, cui accessit

Explicatio dicti Prouerbiorum VII.

**Dominus possedit me initio viarum suarum
ludens in orbe terræ suæ.**

**PER M. PETRVM VVEL
lium Vvesaliensem,**



μηδὲρ ποτ' εἶν' ἄλλο πλὴν θεῶ φίλθ.

VVITEBERGÆ EXCVDEBANT

Hæredes Petri Seitzij.

1557.

*Doriffimo vno magistro Sebastiano Vinfermo
Narentaxi suo plebano Narentis Vallis val. H*

